



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput IX. Quænam sit dem Sinensium ritibus controversia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

maius fore detrimentum ſi interiori ſenſu pereat caſtitas fidei, quam ſi ſaminæ violenter conſuprentur in carne: in perſecutione denique magnum fieri in Eccleſia utriusque ſexus concurſum, aliis baptiſmum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem, Sacramentorum confectionem, & erogationem. Hæc ad num. uſque 8. Quærenti an liceat fugere, ut ſerventur alii, qui reſiduis fidelibus miniſtrent; reſpondet, quando eſt commune periculum, cavendum Epifcopo ne magis fugiendi obſit exemplo, quam vivendi proſit officio: ſi fugiendum ſi non deſint alii, per quos ſuppleatur Eccleſiaſticum miniſterium: ſi laici non querantur ad mortem, poſſe ab iis occultari Clericos, & Epifcopos ſuos; cæterum non tanti pendendam eſſe Eccleſiæ navim, ut debeant eam nautæ, & maxime gubernator periclitantem deſerere, etiamſi in ſcapam tranſiliendo, vel etiam natando poſſint effugere. Atque hæc ad num. 12. Petenti denique quid agendum ſit dum plebes decipiuntur, cum ideo non fugiant, quia manere ſuos præpoſitos cernunt; ait declinandam hanc invidiam alloquendo eaſdem plebes, eiſque ſignificando quod ideo Epifcopi remaneant, ut fidelibus miniſtrent quid eorū ſaluti noverint neceſſarium; nec omittendam hanc orationem, ſi utile videatur ad loca tutiora migrare: ſi abire plebs nolit, aut non poſſit, aut eundem ſit ad incerta ſuffugia, & non ad finiendam, ſed ad mutanda pericula, non eſſe Chriſtiano miniſterio deferendam: ſi autem abire maluerit, nec Epifcopis manendum eſſe, qui propter ipſam plebem manebant. Hæc ad numerum uſque poſtremum. Ergo cum Auguſtinus tam valide nerveſque quæſtionem iſtam diluerit, recte ipſa Doctoris omnium præclariffimi documentis concluditur.

CAPUT IX.

Quænam ſit de Sinenſium ritibus controverſia.

SUMMARIUM.

1. An Sinenſium ritus ſuperſtitioſi ſint cenſendi, an permittendi vi duorum Decretorum.
2. Probat, Decretum 1645. emanatum manſiſſe in ſuo vigore.

3. Probat, cultum Confucii ſuperſtitioſum fuiſſe.
4. Probat, Decretum Cardinalis de Tournon non vindicare ritus Sinenſium à ſuperſtitione.

1. An Sinenſium ritus ſuperſtitioſi cenſeri debeant, an permitti vi duorum Decretorum.

CONSCELERATAM non eſſe Sinenſium ritum conſuetudinem in iis, quæ referunt duntaxat cultum politicum & civilem, dixi prop. 2. Capituli præcedentis. An autem interſit idolatrica ſuperſtitio, ignarus rerum, ac tanta locorum intercapedine diſſitus deſinire vix poteſt. Standum omnino Apoſtolice Sedis deſinitionibus: quæ ſpectatis diverſis circumſtantiis, & Miſſionariorum relationibus, diverſa ſancivit, iudicio ſemper librato, atque irreformabili. Nam anno 1645. die 12. Septembris ad quæſita Patris Joannis Baptiſtæ Moraliſ Ordinis Prædicatorum, reſpondit Sinenſium cultus eſſe illicitos: anno autem 1656. die 23. Martii affirmavit permitti poſſe, ſublatis ſuperſtitionibus, fideique proteſtatione præmiſſa, audita tunc relatione P. Martini Martini Societatis Jeſu in Sinarum Regno Miſſionarii. Remanet ergo difficultas, an poſtremo decreto emanato Sinenſium ritus ſuperſtitioſi cenſeri debeant, an permitti, & num decretum primum adhuc in ſuo robore maneat. Cum pro

utraque parte innumera ſcripta prodierint, miſſus ad Sinas Reverendiſſimus Carolus Maigrot prohibuit anno 1693: cultum à Sinenſibus Confucio, & Progenitoribus exhibitum, tabellas eiſdem appenſas, vocabulum *Xang Ti*, ac *Tien*, quo ſignificant ſummum Deum, & inſcriptionem alteram *King tien*. Gravè hinc ſubortum diſſidium circa Edictum Domini Maigrot: ac pro uſu ipſarum tabellarum ſcripſerunt plures Apologiſtæ; plures quoque illas reprobarunt; horum autem Scriptorum illuſtiores paulo infra commemorabo. Tandem in Sinam proſectus juſſu & auctoritate Clementis XI. Carolus Thomas de Tournon, decreto ſuo emanato Pudicherii die 23. Junii anno 1704. complura alia Sinenſium uſu recepta proſcripſit, poſtea Vaticanâ purpurâ ornatus: ejuſque decretum confirmavit anno 1710. die 25. Septembris idem Clemens XI. & anno 1727. die 12. Decembris Benedictus XIII. Etiam de Cardinali ampliſſimo ætate hac diſputatur, an conſuetudines Sinenſium ſatis exploraverit, an innocuas tanquam ſu-

superstitiosas deceptus errore inhibuerit: etenim de Confirmatione summi Pontificis, dummodo Cardinalis de Tournon explore sententiam dixerit, nemo ambigit quin rata sit, & religiose fervanda. Videtur ergo mihi amplissimam de Sinensium ritibus controversiam ad tria capita posse revocari; nimirum an juxta decretum Sacrae Congregationis anni 1656. Sinenses ritus permitti debeant: an edictum Reverendissimi Maigrot fuerit librate emanatum: an consuetudines proscriptae ab Eminentissimo Cardinali de Tournon sint revera superstitiosae.

2.
Probatum
Decretum
1645. emanatum
mansisse in suo
vigore.

Quantum ad primum caput attinet; dico per decretum anni 1656. non fuisse permittos ritus omnes Sinenses, sed tantum aliquos, qui ex relatione P. Martinii videbantur esse politici, ideoque decretum emanatum à S. Congregatione de Propaganda anno 1645. semper in suo robore viguisse. Probatum 1. quoniam Sacra Congregatio praefata anno 1656. censuit permittendas Sinensibus Christianis ceremonias à P. Martino praenominatas, & propositas. At Martinus retulerat in cultu Confucii nulum interesse sacrificium, nihil omnino fieri ab idololatriis institutum, nullas oblationes, aut sacrificia, sed inclinationes tantum, quales sunt viventi Magistro, neque in templo, & sacra aede, sed in aula, aut gymnasio: dissimulavit etiam inscriptionem tabellarum, de quibus infra: tamen à Sinarum regno grande volumen detulerit, in quo omnes Sinensium consuetudines erant expositae, ut ad illius ingenuam fidem comprobendam testati sunt PP. S. J. in supplici libello exhibito Summo Pontifici Innoc. XII. At quidquid in amplo illo volumine contineretur; nunquid Sacrae Congregationi significavit Confucio sacras aedes erigi, appendi tabellas inscriptas aureis literis, *Sedes animae sanctissimi, & superexcellens Confucii*, celebrari in ejus honorem solemnitates in æquinoctio veris, & autumnii, fungi sacerdotum munere Mandarinos, adolere thurem, immolare victimas, offerre pilos & sanguinem porci, effundere calicem vini in homunculum è paleis fictum, comburere pannum sericum, nummosque papyraceos, literatos omnes gradibus initiatos in sacram Confucii aedem flectere, prostratosque spiritum Confucii adorare, & frontem in terram percutere? Nunquid exposuit Sinenses parentibus avisque construere templa, locare ibidem tabellas inscriptas literis

cubitalibus, *Sedes, aut thronus animae, vel spiritus NN.* vere & autumnio institui solemnitas, patremfamilias gerere Sacerdotis vicem, mactare porcum capramque, effuso in aurem vino probare victimas, librare fructus, & legumina; & qui tenuis fortunae sunt, eadem peragere aut privatis in domibus, aut extra urbes ad mortuorum sepulchra? Haec, quae à Sinensibus exercentur, ut non solum narrat Navarretta, & Varus incliti Praedicatorum Ordinis, sed etiam docti viri Sinensium ceremoniarum Apologistae, Didacus Morales, Jacobus Faber, Franciscus Brancatus, Bartholomaeus Roboredu, alique complures: haec, inquam, Martinus alto silentio praeteriit; ideoque vi decreti emanati anno 1656. ceteri non poterant permittenda. II. Laudatum P. Martinium plura praeteriisse silentio commonstrant ejusdem quaesita apposita ad calcem Apologiae FF. Praedicatorum editae typis Colonienfis anno 1699. comprobant quae apud Sinas evenerunt post Martinii reditum; nam, ut refert Navarretta Tom. 2. pag. 332. Pater Adamus Schaal Mandarinus S. J. decretum anni 1656. improbavit ob minus sinceram Martinii expositionem: quod & fecisse P. Antonium à S. Maria Ordinis Minorum testatur in sua Epistola etiam P. Dominicus Sarpetri Jesuitarum partibus addictissimus: confirmat ejusdem P. Antonii à S. Maria juramentum, quo anno 1659. asseruit P. Martinium in Civitate Nang Cheu palam affirmavisse corruptelam exorandi animas defunctorum apud Sinas ab hinc retro trecentis annis inductam, cum tamen cultus proavorum esset ab antiqua institutione civilis tantummodo, & politicus. At hanc corruptelam Sacrae Congregationi, Romanoque Pontifici minime significavit. III. Anno 1669. die 13. Novembris in Congregatione Generali S. Officii Eminentissimi PP. declararunt, *Decretum Sacrae Congregationis de Propaganda Videlatum sub die 12. Septembris 1645. secundum tum exposita in dubiis, esse in suo robore, neque per decretum S. Congregationis S. Officii latum sub die 23. Martii 1656. fuisse circumscriptum, sed omnino secundum quaesita, circumstantias, & omnia in dictis dubiis expressa esse servandum, ut jacet: quemadmodum servandum declararunt decretum Sacrae Congregationis S. Officii, latum ut supra die 23. Martii 1656. juxta quaesita, circumstantias, & omnia in eis expressa.* Similiter an. 1674. ad quaesitum P. Dominici Navarrettae xiii. ex mandato ejus-

ejuſdem S. Congregationis Clariffimi vi-
ri Laurentius de Laurea, poſtea S. Rom.
Eccleſiæ Cardinalis ampliffimus, & P.
Cajetanus Miroballus S. Officii Quali-
ficator reſponderunt, *Quod ſi obſequia illa,*
quæ Confucio exhibentur ſint mere politi-
ca, poſſunt permitti; ſi religioſa, nequa-
quam. Ex quo ergo per decretum anni
1656. permittantur politicæ quædam ce-
remoniæ non conſequitur permitti tabel-
las cum inſcriptionibus paulo ſupra com-
memoratis, neque oblationes, neque
adorationes factas ſpiritibus, aut proge-
nitorum, aut Confucii, neque ſolemnia
æquinoctiorum, neque alia quæ redolent
ſuperſtitionem, & quæ decreto anni
1645. fuerant prohibita: ſed utrumque
decretum appoſite, librare, & juxta Mi-
ſſionariorum quæſita latum fuit, nec
unum alterum irritat, abrogatque: quod
de iſſdem decretis erat demonſtrandum.

II.

Edictum quoque Caroli Maigrot recte,
provideque ſuperſticioſos cultus elimina-
bat. I. Revera ædes Confucii templum
eſt, non gymnaſium, & oblationes ibi-
dem factæ, præſertim in æquinoctio veris
& autumnii, ſuperſtitioſæ ac profanæ:
primo quoniam Aedes illa Sinarum lin-
guâ appellatur *Miao*, quo vocabulo ap-
pellantur quoque Bonziorum *Pagode*,
ſive templa idolorum: & revera fanum
ac templum eſſe, ſcribunt Matthæus Ricci
lib. 1. de Chriſtiana expeditione apud
Sinæ cap. 10. pag. 108. Daniel Bartoli
lib. 1. pag. 72. Kirkerus in ſuo libro, qui
inſcribitur *Cbina illuſtrata* p. 3. cap. 1.
aliique S. J. præclari Scriptores; tamenſi
Aedes Confuciana non ſit templum
commune, ſed *fanum literatorum*, ac
prope gymnaſium erigatur. De laudato
Matthæo Riccio Maceratenſi tradunt
primum fuiſſe, qui anno 1581. ad Sinæ
penetraverit; ſed ibidem antea Evange-
lium prædicarunt Dominicanii, noſtrique
ordinis Fratres, & præſertim anno 1575.
P. Martinus Herrada, ut non ſolum affir-
mat Auctor Apologiæ FF. Prædicatorum
pag. 109. ſed etiam demonſtratur ex li-
bro, cui titulus, *Hiſtoria Regni Sinarum*,
auctore noſtro Joanne Gonzales de Men-
doza edito Italâ linguâ Romæ an. 1586.
pag. 136. Deinde Confucii cultum illicitum
ac ſuperſtitioſum declararunt die
23. Novembris ann. 1669. ex mandato
Sacræ Congregationis Laurentius Bran-
catus de Laurea, & Joannes Bona, uter-
que Romanâ purpurâ clarus, doctrinâ au-
tem clariffimus: imo idem definivit

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

Summus Pontifex Clemens XI. in Bulla
emanata die 19. Martii, anno 1715. quæ
incipit, *Ex illa die*, Præterea cultum Con-
fucio exhibitum eſſe ſuperſtitioſum, non-
ne evincit ipſius ſimulacrum cum adora-
toribus pictum in libro Italo, *Raccolta de*
varie principali Scrittura de PP. della
Comp. di Geſa, pag. 34. inſcriptio tabel-
læ, oblationes, & libamina ſuperius com-
memorata, & comparatio cum oblatio-
nibus factis idolo *Chin hoan*, ſive Spiritui
tutelari urbium, ab omni etiam aliorum
rituum propugnatore damnatis? Sunt
enim Confucio, & idolo *Chin hoan* ex-
dem omnino ſacrata victimæ, iſſdem ce-
remoniis, eademque miniſtrorum pom-
pa, & actione; ſi verum reſert auctor
Hiſtoriæ Cultus Sinenſium pag. 17. De-
nique Confucii cultum, & idololatrias
ceremonias etiam Miſſionarii Jeſuitæ in-
terdixerunt anno 1628. decretis editis in
urbe *Kia Ting* provinciæ Nankinenſis, ut
Navarretta demonſtrat Tom. II. p. 110.
ideoque falſum eſt à primo ipſorum in Si-
narum regnum ingreſſu fuiſſe permiſſas.
II. Idem aſſerendum de cultu progeni-
torum: quem politicum non eſſe liquet
primum ex tabella, in qua non tantum de-
functorum nomina inſcripta ſunt, quod
tolerabile foret, verum & *Xin Goej*, aut,
Xin Chu, quæ vocabula idem valere ac,
Sedes, aut *thronus animæ, vel ſpiritus*, fa-
tetur eruditus Apologiſta Tellier Tom. II.
pag. 254. ideoque non ſunt appoſita tan-
tum ad excitandam, ut inquant, memo-
riam parentum, verum etiam ad com-
monſtrandum, quod tabellis inſideat ſpi-
ritus defunctorum. Sufficeret enim ad
revocandos parentes in memoriam filio-
rum inſcriptio nominum demortuorum.
Ad hæc fatentur Apologiſtæ ſuperſti-
tioſam rem fore, ſi à defunctis eorum-
que ſpiritibus viventes aliquid peterent
& expectarent: & Martinus, ut dixi-
mus, cum tabellarum inſcriptionem,
tum expectatum à ſpiritu proavorum be-
neficium obtulit. At compertum eſt
Sinæ, cum ejusdem ceremoniis inter-
ſunt, bona & proſpera à defunctis pe-
tere, neque id poſſe in dubium revo-
cari; ut ſcribit Gregorius Lopez ordi-
nis Prædicat. Episcopus Baſilitanus,
quem alias Apologiſtæ pro ſe laudant,
apud Varum, & Scriptorem Hiſt. Culta
Sinenſ. pag. 42. imo idem affirmant
Jeſuitarum Hiſtorici Alexander de Rho-
des lib. 1. cap. 27. Operis cujus in-
ſcriptio, *Relazione de' felici ſucceſſi*
della S. Fede, Joannes Maſſei Hiſto-
riarum Indicarum lib. 6. pag. 101.
aliique narrantes impias Sinarum in
defunctorum cultu ceremonias. Rho-

Q9

des

3.
Probatur
cultum Con-
fucii ſuper-
ſtitioſum
fuiſſe.

des quidem de Tunkinensibus loquitur; sed Tunkinensis ac Sinica gentis eundem esse circa demortuos cultum, haud diffitetur Tellier in sua defensione Parte 2. pag. 314. Ac Martinus ipse, ut diximus, minime negavit corruptelam, & supersticiosam consuetudinem exorandi spiritus defunctorum in politicos Sinensium ritus irreplisse. Quare si progenitorum cultus dubio omni procul superstitiosus est, cum aut spiritus insidere tabellis creduntur, aut defuncti referuntur in Numina, aut ab illis sine Christi fide demortuis temporalia beneficia expectantur, nequit istiusmodi cultus tanquam politicus permitti, quemadmodum anno 1674. de Laurea & Mioballus declararunt, & laudata Constitutione *Ex illa die*, definivit Pontifex Opt. Max. Clemens XI. Quis insuper credat quod in suo Præludio edito anno 1682. nititur demonstrare P. Franciscus Xaverius Philippucci, oblationes superius recensitas, exhibitasque defunctis porcorum, caprarum, libaminum, suffimentorum, esse munera defunctis oblata, non sacrificia? Ac si munera sint, nonne qui illa exhibent, putant spiritus adesse qui munera illa recipiant? Quid si rogam, pyramque excipias, interest discriminis inter Sinensium deliramenta, & parentalia ab Ethnicis celebrata, ut defunctorum animæ excitarentur, & oblata munuscula gratanter exciperent? Parentalia illa ita in 11. Fastorum narrat Ovidius:

*Est honor, & tumulis animas placare
paternas,*

*Parvaque in extructas munera ferre
pyras.*

*Parva petunt manes: pietas pro di-
vite grata est*

*Munere; non avidos Styx habet ima
deos.*

*Tegula porrectis satis est velata co-
ronis,*

*Et sparsæ fruges, parvaque mica
salis,*

*Inque mero mollita ceres, violaque so-
luta.*

*Adde preces positæ & sua verba
focis.*

Sane parum discrepant istæ à Sinensium ritibus ceremoniæ. De his propterea quærimus, cur supersticiosa non sint, & interrogamus:

Ecce Deos manes cur inficiaris haberi?

*Ipsa patrum monumenta probant: Dis
manibus illis*

Marmora scæta lego,

Cum Prudentio in priori ad Symmachum: at pro *marmore* ponam è ligno castaneo tabellam inscriptam, *Xin Goey*. III. Opportune Maigrotius vetuit, ne Deus Sinica lingua appelletur *Xang Ti*, aut *Tien*, & ne templorum aris appendatur tabella cum inscriptione, *King Tien*, & tabella hac prohibita decrevit appellandum Deum recepto à Missionum origine vocabulo *Tien Chu*: quæ omnia sancivit quoque laudata in Bulla Clemens XI. Enimvero *Xang Ti*, quod latine reddunt, *Supremus Imperator*, auctore Nicolao Longobardi S. Jesu in lingua Sinica plurimum exercitato, constat significare subtilissimam materiam, & quasi quintam essentiam, quam Sinenses idololatræ summum Deum credere, nedum nos scripsimus libro 1. cap. 2. sed & asserunt P. Alvarus Semedo in Relatione Monarchiæ Sinensis P. 1. cap. 17. P. Jo. Massejus Indicarum Historiarum lib. 6. p. 100. P. Ludovicus Le Comte de Præsenti statu Sinici Imperii Tom. 2. pag. 181. oppugnatores vero Sinensium Rituum prorsus omnes. *Tien* vero significare cælum, & *King Tien*, idem esse, ac, *Cælum colito*, nullus negat. Quomodo ergo hæc nomina usurpanda sunt, quibus idololatræ percipiunt idem esse Christianorum numen, & diffusum ætherem, orbiumque cælestium gyros, & neophyti pariter & Christianam religionem amplexi ante istiusmodi tabellas prostrati antiquam retinent superstitionem? Deinde quod ajunt Apologistæ, & in supplici libello exhibito Innoc. XII. amplissima Societas Jesu, Dei nomen à Sinensibus proferri non posse latino vocabulo, etiam Dei nomen ab Ethnicis tributum cælo, lunæ, sideribus, nec tamen à nobis repudiari, Divinam quoque Scripturam interdum cæli nomine Deum significare, consuetam esse locutionem istam, *Roma Pelagium damnavit, Curia hunc absolvit*, persuasum denique esse Sinensibus unum Deum à Christianis coli, non cælum materiale: id inquam, nullum movere debet, postquam iis omnibus ponderatis, Apostolica Sedes præfata vocabula expresse prohibuit. Et quidem non jubentur Sinenses adhibere latinum vocabulum *Deus*, sed ab ipsis receptum *Tien Chu*, id est, *Cæli Dominus*: neque *Xang Ti*, ac *Tien*, nomina sunt appellativa, quemadmodum est *Deus*, ut possint vero, falsisque nominibus convenire; nec quæritur quid prædicta vocabula possint metaphorice significare, sed quid nativa institutione significant, &

& an Christianis fas ſit eidem tabellæ cum idololatriſ genua ſectere, & profiteri ſe colere *Xang Ti*, ac *Tien*, numen ſcilicet, quod alii omnes tenent eſſe cæleſtem materiam: ideoque Apologiftarum conjecturæ videntur futiles atque ineptæ. Poſtremo ipſi Miſſionarii Jeſuitæ circa ſignificationem, uſumque vocabuli *Xang Ti* minime convenerunt: nam, ut dixi, Nicolaus Longobardi contendit ſignificare ſubtilem, æthereamque materiam, Miſſionarii Societatis anno 1628. in Conventu celebrato in urbe *Kiating* ſtuerunt *Xang Ti* non eſſe verum ſpiritum: Palmerius Miſſionariorum viſitator anno 1629. prohibuit ejusdem vocabuli uſum. At Riccius qui anno 1581. ad Sinas pervenit, tradiderat vocabulum illud ſignificare verum Deum: atque id in cauſa fuit, ut revocaretur in uſum, & P. Franciſcus Hurtado anno 1645. ad componenda diſſidia ſcriptum P. Nicolai Longobardi flammis damnaret, ſi verum narrat Auctor Hiſt. Cultus Sin. pag. 121. Saltem ergo *Xang Ti*, tanquam ſignificationis ambigua erat proſcribendum: ac ſapientiſſime Clemens XI. definiit admittendum eſſe *Tien Chu*, nomina vero *Tien*, & *Xang Ti* penitus rejicienda.

III.

4. Caput hujus diſquiſitionis tertium ſpectat decretum Cardinalis de Tournon à Clemente XI. & Benedicte XIII. confirmatum, quod univerſam controverſiam definiret, ſi liquido conſtaret virum illum integerrimum vera ad Apoſtolicam Sedem retuliſſe. Id vero mihi non videtur in dubium revocandum. Enimvero idem Clemens XI. Pontifex Maximus decretum illud inviolabiliter obſervandum eſſe ſancivit die 25. Septembris anno 1710. pro illius executione dedit Epistoſas officii, & ſollicitudinis pleniffimas ad Joannem Portugalliæ Regem die 20. Januarii an. 1711. Deinde accepto nuntio mortis Cardinalis eximii, in Epistoſa ad Franciſcum Archiepiſcopum Manilæ data ſub die 15. Junii anno 1713. ipſum Cardinalem appellavit *magnum Catholice Religionis præſidium, magnum Apoſtolicæ Sedis propugnaculum, magnum Romanæ Eccleſiæ decus ac lumen*; atque Apoſtolicis verbis iſtud eidem contexuit elogium, *Bonum certamen certavit, curſum conſummavit, fidem ſervavit.* Die denique 19. Martii anno 1715. Bulla, *Ex illa die*, poſt maturam diſcuſſionem, nec ſola relatione Cardinalis de Tournon ad examen revocata, ſed Miſſio-

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

nariorum plurium cuſuſque Ordinis, etiam formulam juramenti præſcripſit, qua omnes ac ſinguli in Sinarum regno miſſionem exercentes ſpondeant ſe ritus ac tabellæ, & nomina ſuperius expoſita reprobaturos, & decreta ſervaturos Cardinalis præclariffimi. Quis ergo de tanto viro, tali Romani Pontificis commendatione exornato, ac poſt tam longam accuratiſſimamque diſjudicationem, accedente etiam Benedicte XIII. ſententia; quis inquam niſi audacter ac temere pronuntiabit, aut decreta edidiſſe rebus omnibus non inſpectis, aut Sinenſibus Chriſtianis ſuperſtitionem aſſiſſe, aut Sedi Apoſtolicæ impoſuiſſe, maxime cum innumera pericula & vitæ rerumque diſcrimina inſicto animo pro Catholica fide ſubierit? Quæ autem Edicte Cardinalis de Tournon inhiſcentur, ſcite, opportune, ac juſte prohiberi demonſtrat erudito Opere Aloyſius Maria Lucini Ordinis Prædicat. S. Officii Commiſſarius Generalis: quem oppugnare conatur Scriptor Anonymus, Opere tripartito, cuſo ante paucos annos typis Genuenſibus. Hujus quidem Auctoris commendamus ſtylum, eruditionem, ingenii acumen: ſed in Cauſa Apoſtolicæ Sedis judicio finita parum valet mentis acies, verborumque delectus. Miſſis etiam quæ Lucinus nervoſe & luculenter pertractat: aperte damnat teſſeram illam nuptialem cum imagine idoli *Polleyaris*, ſola effigies apud eundem Scriptorem pag. 169. poſtremæ editionis, & reſticula centum & octo ſilis contexta, & croceo ſucco delinita. Negantibus autem adeſſe effigiem idoli, præfixumque ſilorum numerum, ne illos arguamus mendacii, reſpondemus ampliſſimum eſſe Sinarum regnum, nec ubique coli nuptiarum genium aut *Dittam*, aut *Polleyarem*: at ubi colitur, tam apertam ſuperſtitionem eliminandam. Quis præterea æquo animo ferat inſtitutionem feſtorum ob muliebria, dum primum fluunt in pubertate, & appareret puella apta viro? Quis ob ſordidiſſimum fluxum templum, & Sacramenta mulieribus interdicit, tametſi eo decidente fas eſſet ſæminam latitare? Quis in nuptiis arborem Arefciomoram, & palmæ nucem ad auſpicia contractum patiatur in profanis ſimul, Chriſtianis que conjugiis? Illud præterea, quod Miſſionarii accedere nolint ad Sacramenta miniſtranda infirmis infimæ conditionis, *Pirreus* vulgo dicunt, qui à nobilioribus ſummo ludibrio habentur propterea quod boum carnibus veſcuntur,

Qq 2

quæ

quas occidere Brahmanis flagitium est inexpressibile, ut Vincentius Maria Carmelita excalceatus scribit lib. III. pag. 314. illud inquam, aperte immanitatem, nobilium studium, ac superstitionem præfere. Denique conspersos in fronte cineres confectos è vacæ stercore, impressaque signa delineata in Opere Lucinii pag. 412. nescio quo jure possint à nota superstitionis excusari. Atque hæc est mea de Sinenfium Ritibus persuasio. In quibus tamen, si nullum adesset superstitionis indicium, ut contendunt Aloysius Le Comte, Jacobus Faber, Scriptores librorum, qui inscribuntur, *Vera Sinenfium sententia, Monumenta Sinica, Expositio facti oblata sacre Congregationi jussu Innocentii XII. anno 1699.* aliorumque editorum anno 1700. atque si inconcussa essent testimonia Prosperi Intorcetta, Mar-

tini Martinii, & Dominici Mariæ Sarpetri, asserentium superstitionem omnem à Christianis vitari, possent Millionarii omnes facile convenire, eademque doctrinæ conspiratione commissum munus explere. Id gravi Concione nuper, id est, die XXI. Decembris præteriti anni 1739. in Quirinali aula coram Purpuratorum Patrum Senatu prolocutus est vir doctrina, ætate, exemplo plurimum venerandus F. Bonaventura Barberini Concionator Apostolicus, & Generalis Capuccinorum. Fieri id potest, si penitus rejiciantur vota, sacrificia, suffragia, ac libamenta,

Quæ non missa Deo vacuis in nubibus hærent,

Nec penetrant superi stellantem Regis in aulam,

ut S. Paulinus scribit in quarta ad Ausonium Epistola.

CAPUT X.

An permaneat fides in homine impio, in homine hæretico, in homine vitâ functo.

SUMMARIUM.

1. Propositio 1. Probatur.
2. & 3. Responsio ad Objectiones.
4. & 5. Propositio 2. Probatur.

6. 7. 8. 9. & 10. Solvuntur Objectiones.
11. 12. Propositio 3. Probatur.

INQUIRENDUM nunc de Fidei *sub-jecto*: nam Heterodoxi qui sanctificantem gratiam à fide non distinguunt, docent consequenter justum esse quisquis fidem servat; nec gratiam amitti nisi peccato apostasiæ & infidelitatis: eisque accedunt, qui autumant fidem divallam à charitate non operari Christianas virtutes, neque fidem, quæ est bonum germen ac semen, esse absque amore & fiducia; ut habetur in propositione LI. & LII. Quenelliana. At in iis, qui in hæresim prolabantur, & pravo dogmati hærent pertinaciter, fidem deficere communiter docent contra Durandum Scholasticum: quamquam multi distinguant inter Catholicam, integram, inviolatamque fidem, & fidei partem, teneantque illam quidem in hæretico deperire, sed remanere fidem aliquam, sive priorem supernaturalem illuminationem falsitati permixtam, ut docet S. Bonaventura, & probare videtur in III. dist. 23. §. 13. magni nominis Theologus Guilelmus Estius; etsi in utramque partem disputet, nec rem definiat. At istud inter Scholasticos dissidium facili ratione componitur, si quod appellant objectum materiale,

& quod *formale* dicunt, dispecamus. Enimvero hæretici plura nobiscum tenent, ut Trinitatem, Incarnationem, Baptismum, quæ etiam Divinæ revelatione, non perceptione naturali ad illorum notitiam pervenerunt; sed his minime assentiuntur ob Divinam auctoritatem ab Ecclesia propositam, ideoque non fide Divina, sed humana duntaxat, acquisita, & historica. De illis autem, qui concesserunt naturæ, exceptis animis purgantium adhuc à cælesti patria extoribus, quaritur, num in iis ad ornatum, aut ad religionis symbolum *habitus* fidei persistat. Atque hæc congrua brevitate resoluturus de priori parte sic statuo.

PROPOSITIO I. Remanet fides in homine impio, dummodo infidelitatis crimine non se commaculet.

Liquet primo ex Apostolo, qui in I. ad Corinth. XIII. 2. aperte fidem à charitate sejungit, quod & præstat Augustinus de Fide & operibus cap. 14. Produximus loca Volumine III. pag. 315. Accedit definitio Tridentini sess. 6. can. 28. *Si quis dixerit amissam per peccatum gratiam, simul & fidem semper amitti; aut fidem quæ remanet non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum qui*

I.

Probatur.

qui